



GRANDCLAUDE
—
BREVIARIUM
PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ

BB39

G7

1877

c. 1

009722



1080021628

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

24
Propiedad del joven,

Eulalio Melésio Osorio

Colegio Clerical del Sr. Sr. José

Sr. Joaquín. Febrero 23/88.

Al mi muy respetable
Padre, Balverde, como prueba
de gratitud, que es mas inútil
de sus servicios y discípulos. Of.
ce. En Sr. Joaquín. Obre 21/88.

PHILOSOPHIÆ

SCHOLASTICÆ

Eulalio M. Osorio

L. B. J.

IMPRIMATUR

Sancti-Deodati, die 3^a augusti 1863.

† LUDOVIGUS-MARIA

Episc. Sancti-Deodati.

Posita licentia D. Illust. ac reverendissimi episcopi
Sancti-Deodati, imprimatur.

Rhedonis, die 26^a septembris 1867.

† G., Arch. Rhedonensis.

REIMPRIMATUR

Sancti-Deodati, die 18^a augusti 1877.

† MARIA-ALBERTUS.

Episc. Sancti-Deodati.

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ
SCHOLASTICÆ

AUCTORE

EUGENIO GRANDCLAUDE

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO, PHILOSOPHIA
PROFESSORE

Editio nova, aucta et emendata

TOMUS PRIMUS

LOGICA ET METAPHYSICA GENERALIS.



Cañilla, Alfortuna
UNIVERSIDAD DE RHOANUS
Biblioteca Universitaria

PARISIS

SCUMPTIBUS E. TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, via Cassette, et via Rhedonensi, 73.

FONDO EMERITO
VALVERDE Y TELLEZ
46176

B 839

97

1877

V. 1-3



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

BREVIARIUM

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

PROCEMIUM

§ I. — De Philosophiæ definitione.

1. Philosophiæ definitio, quæ recta sit omnibusque probata, ducenda est, non à præconceptis systematibus, sed à sensu vocis usu constanti præsertim determinato, tanquam a principio communiter recepto. Porro vocamen philosophiæ, a vocabulis græcis *philos* et *sofos* desumptum, ex etymo *amorem* aut *studiosam sapientiæ inquisitionem* significat. Illud a Pythagorâ subditum fuit voci Sapientiæ, quæ apud antiquiores philosophos invaluerat: itaque inde a Pythagora vox Philosophiæ usu communi sumpta est pro ipsa sapientiâ quam inquirît ejus amator.

2. — Per *sapientiam*, ex etymologiâ vocis, intelligitur scientiâ quæ menti maximè *sapit*, et ex usu apud doctos antiquitus recepto, scientiâ perfectissima seu *cognitio rerum per causas altiores*; scientiâ verbò appellatur quæcumque *cognitio per causas*: sapiens dicitur qui ad ultimas rerum causas perscrutando devenit.

Philosophia ergo, juxta etymon vocis, non esset tam scientiâ quam amor seu studiosa inquisitio sapientiæ, id est, inclinatio et conatus mentis ad hanc rerum per altissimas causas cognitionem, scilicet ad adeptionem sapientiæ; at, juxta nominis usum, non est quid diversum ab ipsa sapientiâ.

3. — Verum philosophia non est sapientiâ simpliciter sumpta, quæ scilicet in altissimis omnium causis res co-

BREV. PAUL. T. I.

009722

gnoſcit, cùm Theologia in ultimis plane rationibus, nempe principiis ſupernaturalibus, res contineatur, dum ſapientia naturalis, nempe Philoſophia, terminis ordinis naturalis circumſcribitur.

Philoſophia ergo definiri potèſt: *Scientia rerum omnium per altiores cauſas ordinis naturalis.*

Philoſophia dicitur: 1^o *Scientia rerum omnium*; agit enim de rebus omnibus, nempe de mundo, de homine, de Deo. Verumtamen, philoſophia non conſiſtit in qualibet cognitione omnium rerum, imò neque in qualibet cognitione *ſcientifica*, ſeu per cauſas, ſed in ea que acquiritur 2^o per *altiores cauſas*, nempe per altiora principia: Scientiæ naturales a Philoſophia diverſæ, mundum et hominem pro objecto habent, ſed ea non perſcrutantur in altioribus cauſis, ſeu in rationibus ultimis, verum in proximis tantum. Hinc diſcriminantur a Philoſophia que in rationes omnium rerum altiſſimas investigandas incumbit.

Alia ex parte, ſcientiæ ſupernaturales ſuo etiã modo diſceplant de homine, de mundo, et potiſſimum de Deo; ſed illud triplex objectum reſpiciunt in lumine ſupernaturali. Hinc per tertiam partem definitionis: *ordinis naturalis*, Philoſophia diſtinguitur a Theologia: illa enim tractat de cauſis altioribus, ſed intra ambitum ſolius ordinis naturalis.

Cor. Ergo a ſenſu communi ſapientium diſſident et vitio evidenti laborant definitiones ſequentes, tum rationaliſtarum: *Philoſophia eſt ſcientia cogitationis, ſeu animi cogitantis*, tum ontologorum: *Philoſophia eſt ſcientia entis abſoluti, vel veritatum abſolutarum, ut latium.*

Schol. Quid ſit philoſophia ſcholæſtica? Philoſophi poſunt triplici modo progredi: 1^o Sic ut excludant principia revelata, ſive tanquam figmenta, ſive tanquam inutilia ut impertinentia: inde philoſophia *rationaliſtica*. 2^o Sic ut principia rationalia cum principiis revelatis confundantur; in hunc exceſſum oppoſitum prolapsi ſunt Traditionaliſtæ recentiores; hinc philoſophia que vocari poſſet *traditionaliſtica*. Demum 3^o ſic ut principia rationalia conferantur ſedulo cum revelatis, eiſque tanquam normæ ſuperiori ſubjiciantur; ita procedebant ſive Patres

Eccleſiæ, ſive Doctores mediæ ætatis: hinc philoſophia *chriſtiana*. Hæc philoſophia, quatenus a ſcholæſticis ordine ſystematicè donata fuit, ſtylo ſeveriori expoſita, et ſic ad formam perfectiſſimam adducta, vocatur *ſcholæſtica*.

Hujus philoſophiæ ſcholæſticæ elementa tradimus. Hinc titulus noſter: *Breviarium philoſophiæ ſcholæſticæ.*

§ II. — De utilitate Philoſophiæ.

4. — Philoſophia conſiderari potèſt: 1^o in ordine ad alias ſcientiæ, 2^o reſpectu hominis quem perficit et dirigit, 3^o relate ad fidem revelatam cui utiliter deſervit, et ex hoc triplici capite manifeſtatur ejus utilitas.

1^o Philoſophia eſt utiliſſima ad alias ſcientiæ edicendas. Eſt utilis: 1^o ad ſcientiæ *ſpeculativas*. Dat enim 1^o generaliorem veri notionem, dum aliæ ſcientiæ ſpeculativæ aliquid verum particulare conſiderant; 2^o methodum et leges cognitionis, ac proinde instrumentum et normam ſuppeditat quibus diverſa genera cognitionum ad ſcientiæ particulares conſtituendas adducuntur. Ergo Philoſophia, que dat notiſſimam veri, methodum et leges cuiusque ſcientiæ, eſt utilis ad ſcientiæ ſpeculativas edicendas.

2^o Non minus favet ſcientiis *practicis*. Scientiæ practice actionem humanam ad debitum finem dirigunt; ſed directio hæc generaliorem ordinis et boni notionem ſubaudit, necnon cognitionem naturæ entium que rectè dirigi debent. Atqui hæc omnia præſtat Philoſophia. Ergo Philoſophia eſt etiã neceſſaria ad ſcientiæ practicas edicendas.

3^o Philoſophia eſt utilis: 1^o *homini privatim ſpectato*, in quantum perficit ipſam humanam naturam. Philoſophia enim perficit nobiliores hominis facultates, intellectum ſcilicet et voluntatem, ac finem assignat ultimum, qui eſt fons totius ordinis moralis. Atqui perfectio hominis *ſingularis* oritur ex perfectione facultatum nobiliorum, necnon ex recta ordinatione ad finem, præcipue ultimum. Ergo Philoſophia eſt utilis homini etiã privatim ſpectato.

2^o Est *utilis statui sociali*. Etenim perfectio status socialis pendet ex genuina ordinis politici notitia, sicut ex recto obedientiæ, libertatis, finis socialis conceptu. Atqui hæc omnia præstat Philosophia. Ergo etiam respectu ordinis socialis utilitate non caret.

III^o. Fidei et veræ Religionis utiliter deservit: 1^o *removendo obstacula* quæ fidei propagationem præpediunt. Vera Philosophia multa hæreticorum et incredulorum sophismata diluit. Atqui hæc sophismata quemdam obicem constituunt fidei propagandæ. Ergo Philosophia iter sternit planum ad propagationem fidei et veræ religionis.

2^o Philosophia quasdam prævias veritates demonstrat quæ *fidei præambula* dicuntur: Fides et ratio « opem sibi mutuam ferunt, ait conc. Vatic. (1), cum recta ratio fidei fundamenta demonstrat. » Ergo etiam ex hoc capite auxilio est veræ religioni.

3^o Philosophia denique dat theologo aptitudinem naturalem ad revelationem supernaturalem distinctius intelligendam, subministrat methodum, et universales suppledit conceptus quibus excoli possit theologie dominium: ratio fidei « lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolit », ut declarat conc. Vat. I. cit. Atqui hæc omnia sunt maxime utilitatis ad fidem propagandam ac tuendam. Ergo philosophia aliquo modo auxiliatrix fidei ac veræ religionis haberi debet.

§ III. De habitudine Philosophiæ ad alias scientias.

5. — Philosophia considerari potest: 1^o in ordine ad scientias quas versantur circa veritates ordinis naturalis; 2^o quoad illas scientias quarum objectum constituunt veritates ordinis supernaturalis seu supernaturaliter revelate.

THESIS 1^a. *Philosophia est scientia distincta tum ab aliis scientiis quæ versantur circa veritates ordinis naturalis, tum a scientiis theologicis.*

Prima pars., quæ contra Positivistas et Empiricos crassiores proponitur, assertores Philosophiam esse merum corollarium physicæ, chymicæ, matheseos, etc., sic

(1) Const. de Fide cath. c. 4.

Prob. Eæ scientiæ revera sunt distinctæ quarum objectum et principia differunt; atqui tum objectum tum principia Philosophiæ et aliarum scientiarum naturalium differunt. Etenim 1^o, ut modo dictum est, objectum Philosophiæ sunt altiorem rerum omnium causæ, dum objectum scientiarum illarum sunt causæ proximæ quarundam rerum particularium; 2^o principia Philosophiæ propria præbet ratio superior, dum principia cæterarum scientiarum ordinis naturalis sumuntur ab experientia. Ergo.

2^a Pars oppugnat tum Rationalistas, qui Theologiam ad Philosophiam reducunt, tum Traditionalistas, qui Philosophiam ad Theologiam revocant, tanquam ad fontem proprium.

Prob. iisdem rationibus quibus primam demonstravimus. Præterea definita fuit a Concilio Vaticano: « Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit ac tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria, quæ nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. » (1).

THESIS 2^a *Quoad scientias ordinis naturalis, Philosophia est simpliciter sapientia, seu regina et dux.*

Probatur. Philosophia considerat altiora principia quæ aliis scientiis fundamentum præbent, judicat de ipsorum natura, legitimitate, etc. Atqui scientia quæ aliis dat principia ex quibus exordium ducunt, judicat de eorum natura, etc., dici debet sapientia et regina. Ergo Philosophia in ordine naturali est scientia princeps.

THESIS 3^a *Quoad scientias ordinis supernaturalis, Philosophia simpliciter subjacet, tum ratione objecti seu veritatem quas contactur, tum ratione lucis in qua illud objectum considerat: illis tamen scientiis utiliter subservit.*

1^a Pars. *Subjacet: Probatur.* Philosophia in veritates

(1) Constit. de Fid. c. IV, de Fid. et rat.

superiores ordinis naturalis incumbit, quas considerat in lumine rationis humanae, dum Theologia veritates supernaturales persequitur, quas in lumine fidei et revelationis cognoscit. Atqui 1^o, veritates supernaturales omnibus ordinis naturalis veritatibus nobilioribus sunt; 2^o ratio humana infinite distat ab intellectu divino, qui est fons et lumen veritatum revelatarum et suprema regula omnis veritatis. Ergo Philosophia sub hoc duplici respectu considerata dicenda est ancilla Theologiæ. Quapropter Conc. Vatic. (1) declarat: « Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri..... possent, anathema sit. »

2^o *Pars. Utiliter subservit*: Etenim quoad syntheticam revelatarum veritatum dispositionem et aliqualem intelligentiam, seu quatenus supra catechesim et positivam singulorum dogmatum confirmationem, ad apparatusum scientificum evehitur Theologia, id a Philosophia non minima ex parte mutuatur; itaque Philosophia est utilis ancilla Theologiæ.

6. — *Schol.* Ergo principia Philosophiæ sunt altissima respectu principiorum quas dominium constituunt omnium scientiarum naturalium, dum e contra sunt ordinis inferioris respectu principiorum theologiæ supernaturalis. Philosophia igitur est quedam disciplina intermedia, que respectu nobilitatis sui objecti spatiat inter theologiam supernaturalem et omnes scientias naturales.

§ IV. De philosophiæ partitione.

7. — Divisio alicujus scientiæ petitur ab objecto circa quod versatur. Divisio enim enumerat varios aspectus quos illud objectum induere potest ut melius cognoscatur. Porrò objectum adequatum Philosophiæ, ut constat ex definitione, consistit in rebus omnibus altiori quadam consideratione inspectis. Jamverò:

1^o Res ejusmodi possunt ab homine simpliciter cognosci: possumus enim unice dispescere quid est Deus,

(1) Const. dogm. de Fide cath. IV, can. 2.

quid est homo, quid est mundus. Hinc exsurgit pars theoretica seu *Metaphysica*. Sed præterea,

2^o Homo, ex perpenis relationibus quas habet ad alia entia, quaerere potest quomodo se gerere debeat ut actibus suis liberis servet ordinem debitum ad finem: hinc pars practica seu *Moralis*. Ordo practicus seu moralis exposulatur ut res omnes ordinem ducant ad Deum, qui est finis ultimus et prima causa ejuslibet rei creatæ. Ergo quandò homo quaerit quid agendum sit ut adimpleatur ordo naturalis, in relationes rerum creaturarum libertate præditarum ad Deum creatorem rimandas potissimum incumbit.

3^o Verum ad hæc perscrutanda requiritur quedam regula certa: inde operam conferre oportet alicui parti veluti propædæutica, quæ rationi viam aperiat ad hæc cognitionem. Etenim quælibet scientia specialibus utitur mediis ac regulis ad suum objectum indagandum. Atqui philosophia, sicut aliæ scientiæ, sua propria habet loca, seu media quibus utitur ad rectam objecti determinationem. Pars hæc, quæ fontes assignat et media determinat, est *Logica*.

Ergo philosophia tres complectitur partes: 1^o *Logicam*, quæ *instrumenta* ad objecti cognitionem necessaria suppeditat; 2^o *Metaphysicam*, quæ rerum respicit, seu objectum in se speculative considerat; 3^o *Ethicam* quæ bonum respicit, seu normam agendi præbet entibus intellectui et libertate præditis, ut servetur ordo naturalis rerum ad finem, præcipue ultimum (1).

8. — Exordiemur a Logica, et deindè gradum faciemus ad *Metaphysicam*, ut tandem deveniamus ad *Ethicam*, qua perficetur nostra tractatio.

Hujus distributionis ratio, quæ omnibus est obvia, petitur ab ipsa disciplinarum indole. 1^o A simplicioribus ad altiora et magis composita, a principis et fontibus ad conclusiones et effluvia progredi debet omnis scientia. Atqui

(1) Inque Philosophia triplicem ordinem veritatum complectitur. Inde si divisionem hujus scientiæ repetere velis ab ipso zero, prout est objectum quod alia sub ratione reperitur in hac triplici parte, habemus pro objecto Logicæ verum *rationalis*, pro objecto *Metaphysicæ* verum *reale*, pro objecto *Ethicæ* verum *moralis*.

simplicior et planior est Logica præ aliis disciplinis, et præterea aperit fontes, præbet media; aliæ enim discipline exquirunt acutissimum ingenium et accuratissimam analysim, ac proinde assuetudinem in usu mediolorum. Ergo logica prævia est respectu Metaphysicæ et Ethicæ.

2^o Metaphysica in ordine cognitionis est ante Moralem, cui subministrat principia. Metaphysica enim naturam rerum pandit seu verum enucleat. Atqui Ethica nequit actiones rectè dirigere, seu entia ad finem ordinare quin cognoscat horum entium naturam et finem. Ergo Metaphysica, prævia est respectu Ethicæ.

9. — Præterea hic ordo partium Philosophiæ confirmatur e sequenti consideratione: Philosophia tria respicit: 1^o ordinem conceptuum, 2^o ordinem rerum, 3^o ordinem entis concipientis et agentis ad res conceptas. Atqui homo, 1^o suos debet regere conceptus: hinc Logica. 2^o Ex recto usu conceptuum naturaliter pergit ad indagacionem rerum: hinc Metaphysica. Et tandem 3^o perspectis rerum naturis et proprietatibus, ad mutuas entium relationes et praxes exinde obortas stabilendas ducitur: hinc Ethica.

PRIMA PARS

PHILOSOPHIÆ

LOGICA

11. — Logica a græcâ voce *λογος*, idem dicit ac rationalis disciplina, seu disciplina quâ ratio ducitur ad verum assequendum. Versatur ergo circa ordinem quo instrui debent operationes rationis ut hæc facultas rectè et tutò deveniat ad suum finem, videlicet ad verum; itaque hic ordo adhibitus in operationibus rationis intuitu veritatis assequendæ est presentis discipline objectum: hinc prout peculiarem aliquam constituit scientiam definiri potest: *Scientia quâ mens in exquirendâ vel demonstrandâ veritate dirigitur*. Dicitur *scientia* ut distinguatur a logica mere naturali:

12. — Ratio enim humana suapte naturâ verum prosequitur, quod proprium ejus constituit objectum. Porrò ratio aliquam a naturâ respectu veritatis sortitur rectitudinem quæ sibi relicta ad quasdam saltem veritates exquirendas et demonstrandas valet. Hæc rectitudo naturalis et innata, quæ omnimodam antevertit disciplinam, dicitur *Logica naturalis*: naturâ sponte agente, verum assequitur.

Illud verum, ad quod ordinat logica innata, non est tantummodo verum: immediatè patens, sed etiam illud quod eruitur per deductionem ex alio vero immediatè percepto, dummodò saltem deductiones non sint a longè petita.

13. — Verum logica hæc non sufficit ad veritates magis remotas et abstrusiores detegendas; quoad hunc ordinem veritatum, ratio subsidium artis et disciplinæ exquirat. Quando hæc naturalis facultas verum cognoscendi, seu logica innata, augetur et perficitur per reflexionem quâ ejus viâ diligenter perpenduntur, fit *artificialis* seu *scien-*